

rez, prolegomeno illo secundo, cap. VIII, num. XXII et XXIII, quia non invenitur promissio effectus sub conditione a solo Deo pendente, quæ ob defectum solius conditionis non impleatur, quia talis promissio vana esset, et otiosa: pendet enim tota promissio ex arbitrio Dei, et sic si ipse non vult implere conditionem, perinde est ac si non fieret: sicut si ego promitterem alicui sic: Si voluero dabo tibi centum, vel si venero tali die, dabo mille, cum proposito non volendi, neque veniendi, sic si Deus promitteret: Si te vocarem, prædeterminatam te, cum absoluto proposito non vocandi, esset frustratoria promissio.

Et confirmatur, quia si ponatur conditio pendens ex solo decreto Dei, non potest veritas conditionata de futuro contingenti fundari super decreto prædeterminante, si tale futurum alias non est de facto ponendum. Nam si Deus habuisset tale decretum prædeterminandi voluntatem, si talis conditio ponatur: ergo est paratus ex vi talis decreti ad conferendam illam determinationem, alias vanum et inutile esset tale decretum. Deus autem in tali casu non est paratus ad dandam illam prædeterminationem, quia si esset paratus, daret illam, cum non pendeat ab homine illa conditio, sed ab ipso Deo? Et alioqui supponitur talis prædeterminatio nunquam futura: ergo Deus non est paratus ad dandum illam. Quod declaratur in illo conditionato futuro dandi pœnitentiam Tyriis, si apud eos fierent miracula, quia illa conditio faciendi miracula, a solo Deo implenda erat, et alias erat decretum non faciendi illa de facto; ergo Deus non habuit decretum determinandi ad pœnitentiam Tyrios sub conditione, quia si conditio erat a solo Deo pendens, et ipse alias decernebat absolute non ponere talem conditio-

nem, inane, et otiosum erat decretum dandi illis determinationem ad pœnitentiam, quia per hoc nihil conferebat illis hominibus. Non ergo in his conditionatis Deus habet decretum prædefinitivum sub conditione, quia omnino frustraneum est, multo minus illud habet quando conditio non est dependens a solo Deo, sed ab homine, quia tunc est suspensum decretum et expectans conditionem ab alio ponendam, non autem prædefiniens ex se.

Respondetur quod quando conditio futuri ponendi, a solo Deo dependet, etiamsi decretum de ponendo effectu sub illa conditione non implenda videatur otiosum, quoad ipsam impletionem promissionis, vel quoad positionem effectus in re, non tamen est otiosum ad alios fines, quos etiam Deus providere debet, nempe ad ostendendam ordinationem et inclinationem causarum, et dispositionem quam habent secundum se, et in ordine causarum inferiorum, vel secundum alios respectus, v. g. in illo conditionato convertendi Tyrios, si apud eos fierent miracula, licet videatur otiosum in ordine ad ipsam conversionem de facto ponendam et implendam, promittere illam sub conditione, si fierent miracula, et ex alia parte decernere quod non fiant, tamen quoad finem ostendendi dispositionem voluntatum Tyrriorum præ obduratione Judæorum, non erat otiosum, sed valde conducens illud conditionatum decretum. Jam autem sæpe monuimus Deum, qui est universalissimus provisor, gerere vicem pro diversis ordinibus rerum, et de unoquoque disponere; et ita cum non possint omnes ordines rerum simul poni, quia alii aliis contrariantur, oportet quod aliqui solum remaneant sub conditione, et ita non est otiosa voluntas ad quam pertinet de-

omnibus ordinibus rerum providere quod velit aliquid sub conditione fieri, et de facto nolit illud fieri, sed aliud. Si enim apud oppositos auctores omnes ordines rerum determinatam veritatem habent, ex ipsa propria ratione causarum inferiorum, et voluntatum creaturarum, et ideo sic præsciuntur sub conditione, sed non decernuntur a Deo, quid repugnantia habet quod voluntas divina, quæ super omnes illos ordines est, et omnes ab illa derivantur decernat et determinet sine aliquo scrupulo otiositatis quid unaquæque voluntas in aliquo ordine factura sit sub conditione, licet de facto decernat ut ille rerum ordo non fiat?

XVIII. Ad confirmationem negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod Deus ex vi illius decreti prædeterminantis est paratus dare illum concursus, non absolute, sed in tali statu, et sub tali conditione. Unde non sequitur quod si est paratus, daret illum, nisi illa conditio ponatur sine qua non decrevit dare. Nec obstat, quod conditio a solo Deo pendeat, quia bene stat quod conditio a Deo pendeat, et quod nolit illam de facto ponere, et nihilominus paratus sit, non absolute, sed pro illo statu rerum, si illa conditio poneretur, dare talem concursus; si enim esset simpliciter paratus dare, absque ulla conditione vel statu rerum, sine dubio poneret, et daret concursus, sed esse paratum dare pro aliquo statu rerum tantum, et non absolute, non infert quod debeat illum dare, aut obligetur illum statum et conditionem ponere. Et ad id quod urgetur in exemplo pœnitentiæ Tyrriorum jam responsum est, quod non est inane illud decretum conditionatum, quia etsi non sit ponenda in re illa pœnitentia, erat tamen ponenda in re inclinatio illarum voluntatum, et ostendenda

minor earum obduratio ad pœnitentiam, quam Judæorum, et propter alios fines, judicandum erat decretum illud non otiosum. Nec erat necessarium conferre illis aliquid de facto, sed sufficit Deum velle id ostendere, aut ad alios fines dirigere. Quando autem conditio non est ponenda a solo Deo, sed etiam ab homine, etiam non est frustraneum decretum prædefinitivum sub conditione, quia etsi suspendit executionem, sed non determinationem illius veritatis conditionatæ, nec inclinationem causarum inferiorum ad effectum, licet de facto non sit faciendus.

ARTICULUS VIII.

Quid sit voluntas Dei antecedens, quid consequens, beneplaciti, et signi?

I. Difficultates, quæ circa explicationem harum voluntatum versantur, adeo sunt connexæ, ut vix dividi possint, sed una cum aliis explicari debet. Et primo, supponendi sunt ipsi termini, qui apud scholasticos doctores et patres sunt usitatissimi de voluntate antecedente, et consequente. Agit S. Damascenus libro primo fidei, c. XXIX, explicans illud Pauli: *Qui vult omnes homines salvos fieri*: et ante ipsum, Chrysostomus hom. I, in epistola ad Ephesios meminit ejusdem divisionis, licet non sub nomine antecedentis et consequentis, sicut Damascenus, sed nomine primariæ, et secundariæ. De voluntate autem beneplaciti, et signi agit Magister sententiarum in I, dist. XLV, et ibi communiter omnes doctores et D. Thomas, tum ibi q. I, a. IV, tum hic q. XIX, a. XI, et q. XXIII de ver. art. III, habentque fundamentum in Scriptura: voluntas quidem beneplaciti, ut cum dicitur Roman. XII: *Ut probetis quæ sit*

voluntas Dei bona et beneplacens, et perfecta: et Psalm. cv: *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui*: Voluntas autem signi, ut cum ipsi effectus ad extra, quibus Deus manifestat voluntatem suam, vocantur voluntates Dei; nec enim in Deo multiplicatur voluntas, sed in effectibus, et sic dicitur Psalm. xv: *Mirificavit omnes voluntates meas in eis*: et Psalm. cx: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*. Et similiter dicimur facere voluntatem Dei, ut Matth. xii: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, hic meus frater, et mater est*. Non fit autem voluntas, prout est in Deo, sed id quod voluntate Dei præceptum aut ordinatum est. Id ergo in quo voluntas Dei manifestatur, ut præceptum, consilium, etc. recte vocatur voluntas signi, id est, signum voluntatis, quæ in Deo est, et quæ per aliquid externum manifestatur.

Hoc supposito aliqua sunt certa in his voluntatibus explicandis, et aliqua dubia.

II. Certum est primo, voluntatem signi non esse formaliter in Deo, sed metaphorice nominari voluntatem, ut docet S. Thomas hic articulo xi. Ratio vero est, quia voluntas signi non dicit actum voluntatis, sed effectum, quo manifestatur, seu manifestari solet apud homines alicujus voluntas. Effectus autem externi non sunt intra Deum, atque adeo non sunt formaliter et proprie ipsa voluntas, vel actus voluntatis, sed analogice et metaphorice dicuntur voluntates, quia voluntatem significant, aut ab ea procedunt, sicut urina dicitur sana, quia significat sanitatem.

III. Certum est secundo, hanc voluntatem signi recte dividi per quinque signa, ut optime explicat D. Thomas in hac quæstione xix, a. xii. Sunt autem prohibitio, præceptum, consilium, operatio et permis-

sio, quæ distinguuntur ex diverso modo declarandi voluntatem: nam aliquando declaramus illam per nos, aliquando per alium. Per nos vel aliquid faciendo, et sic operatio externa est signum voluntatis internæ, vel aliquid permittendo et sinendo fieri, et sic est permissio. Per alium declaramus voluntatem nostram, quando ordinamus alium ad aliquid faciendum; ordinamus autem de alio vel per imperium obligando, vel per consilium suadendo. Per imperium obligando vel præcipiendo ut fiat, vel prohibendo ne fiat; et sic sunt quinque signa manifestandi voluntatem, scilicet operatio, et permissio, præceptum, prohibitio, et consilium. Et quædam versantur circa mala ut prohibitio et permissio, quædam circa bona ut operatio et præceptum, quædam perfecta, seu optima ut consilium, et quædam referuntur ad præsens, ut operatio et permissio, quædam vero etiam ad futura, ut præceptum, prohibitio, et consilium.

IV. Dubitant vero aliqui quomodo operatio dicatur voluntas signi, cum operatio Dei procedat a voluntate beneplaciti, quia nihil Deus operatur nisi volendo, et complacendo. Et existimant tunc solum operationem dici voluntatem signi, cum designat voluntatem, quæ vere in Deo non est, non autem cum demonstrat voluntatem beneplaciti, quæ in Deo vere est, ut si Deus justificat parvulum, et ille postea peccat, et damnatur, illa justificatio parvuli fuit operatio significans voluntatem salvandi, quæ vere in Deo non fuit. Sed hoc est supponere quod voluntas inefficax et antecedens in Deo non vere sit, contra quod dicemus postea, et ita operatio significativa voluntatis inefficacis etiam significat voluntatem aliquam beneplaciti in Deo, licet non efficacem. Quare melius dicendum est cum D.

Thoma in hac quæstione, a. xii ad ii, quod nihil prohibet de eodem objecto esse voluntatem beneplaciti et voluntatem signi, sed sub diversis rationibus: nam operatio quæ dicitur voluntas signi, et voluntas beneplaciti, quam demonstrat vel signat illa operatio, non distinguuntur, nisi sicut actus internus, qui est proprie et formaliter voluntas, seu actus voluntatis, et effectus externus qui non est voluntas, sed a voluntate procedens, et ideo metaphorice dicitur voluntas, tamquam effectus ejus.

V. Certum est tertio, voluntatem consequentem circa ea quæ bona sunt semper esse voluntatem beneplaciti, quia voluntas consequens, si versatur circa bona etiamsi a nobis proveniant, est in Deo efficax voluntas habens effectum circa bona, ergo versatur circa aliqua quæ placent Deo, et ab eo emanant, cum efficaciter fiant, et absolute: est ergo etiam voluntas beneplaciti.

Dubium autem est circa voluntatem antecedentem in tribus.

Primum, an ista voluntas antecedens sit solum inefficax et conditionata, an etiam aliqua voluntas antecedens sit absoluta, et efficax.

Secundum, an voluntas antecedens sit formaliter, et proprie in Deo, an sicut voluntas signi solum improprie.

Tertium, circa quæ versetur ista voluntas in quantum antecedens, et an semper habeat conjunctum aliquid efficaciam. Et ex his eliciemus quomodo sit explicandum Apostoli: *Quod Deus vult omnes homines salvos fieri*. Circa voluntatem etiam beneplaciti est dubium, an solum fit efficax voluntas, an etiam aliqua inefficax dicatur voluntas beneplaciti, et ita non omnis voluntas beneplaciti impleatur.

VI. Circa primum, aliqui existimant non omnem voluntatem Dei

antecedentem esse inefficacem et conditionatam, sed aliquam esse efficacem et absolutam, ut p. Vasquez hic disp. lxxxiii, c. iii, sicut est gratia vocationis, quam Deus de facto aliquibus dat; hanc enim esse antecedentem ipse existimat, quia eam dicit esse antecedentem voluntatem, quæ ex solo Deo emanat; consequentem autem, quæ ex suppositione alicujus actus nostri datur in Deo, ut punitio, quæ supponit culpam, et præmiatio, quæ supponit merita. A fortiori vero existimat Vasquez voluntatem antecedentem inveniri formaliter in Deo, et esse voluntatem beneplaciti, seu unum ex membris ejus. At vero Molina hic super articulum vi, dist. i, §. Patet secundo, existimat non omnem voluntatem absolutam et efficacem esse consequentem in Deo, sed illam tantum, quæ ita absoluta est quod de ejus contrario non est in Deo velleitas, seu conditionata voluntas. Denique, alii existimant non recte explicare D. Thomas in hac quæstione, a. vi, sensum Damasceni, quod voluntas antecedens sit illa, quæ est de re aliqua secundum se, et quasi in communi; voluntas autem consequens sit de re, attentis omnibus circumstantiis hic et nunc, sed existimant etiam ad voluntatem Dei antecedentem pertinere quod respiciat rem, etiam in particulari, et ut facienda est a nostro libero arbitrio quoad executionem et hic et nunc, dummodo non sit in nobis sufficiens causa illam faciendi, sed ex Dei liberalitate dependeat.

VII. Nihilominus dicendum est, quod omnis voluntas antecedens Dei est idem quod voluntas inefficax et conditionata contra Vasquez, et quod omnis voluntas consequens est absoluta, et efficax contra Molinam. Ex quo consequitur non pertinere ad voluntatem antecedentem ea quæ in executione, et de facto

fiunt secundum quod considerantur in sua existentia, et ut facienda, sive mediante nostro libero arbitrio fiant, sive non; sed a solo Deo. Conclusio hæc est expressa S. Thomæ hic a. vi ad 1, ubi inquit: « Distinctio voluntatis antecedentis et consequentis non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinæ; in qua nihil est prius, vel posterius, sed ex parte volitorum. Ad cuius intellectum considerandum est, quod unum quodque secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo: aliquid autem potest esse in prima sui consideratione secundum quod absolute consideratur bonum vel malum, quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur, quæ est consequens consideratio ejus, et contrario se habet, sicut hominem vivere est bonum, et hominem occidi est malum secundum absolutam considerationem; sed si addatur circa aliquem hominem quod sit homicida vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi et malum est eum vivere. Unde potest dici quod justus iudex antecederet vult omnem hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecederet vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suæ justitiæ. » Constat autem, quod iudex solum inefficaci voluntate vult aliquem vivere in quantum hominem, qui tamen efficaciter, et de facto vult eum mori, ut homicidam, et Deus vult de facto multos damnari ut peccatores, quos tamen sub præcisa consideratione hominis vellet salvari: « Unde subdit D. Thomas ad magis explicandum quomodo illa voluntas antecedens sit inefficax, et illa consequens efficax, quod: « Id quod antecederet volumus, non simpliciter volumus, sed secundum quid, quia voluntas comparatur ad

res secundum quod in se ipsis sunt: in se ipsis autem sunt in particulari. Unde simpliciter volumus aliquid secundum quod volumus illud, consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quod est consequenter velle. Unde potest dici, quod iudex justus simpliciter vult homicidam suspendi, sed secundum quid vellet eum vivere, scilicet in quantum homo. Unde magis potest dici velleitas, quam absoluta voluntas. Et sic patet quod quidquid Deus vult simpliciter fit, licet illud quod antecederet vult non fiat. »

VIII. Si hæc explicatio D. Thomæ pro mente Damasceni vera est, ut ipse Vasquez fatetur, qui supra dicta disputatione LXXXIII, cap. III, dicit S. Thomam in hoc articulo apprimè intellexisse mentem Damasceni, nescio quo pacto potest negari, quod iuxta sensum verum Damasceni, et D. Thomæ voluntas antecedens efficax, et absoluta non sit, sed solum velleitas, seu conditionata voluntas, cum id tam aperte dicat S. Thomas. et quod voluntas consequens sit voluntas efficax: idque discursus ipse convincit, quia efficax voluntas est, quæ respicit rem ut faciendam, inefficax vero non, sed solum bonitatem rei secundum se attingit, nihil vero tractat de consecutione, seu positione rei de facto. Ergo si voluntas antecedens respicit rem secundum se præcise, et non ut faciendam, consequens vero respicit sub illo statu et modo quo facienda est, utique talis voluntas antecedens erit inefficax, et consequens erit efficax. Unde ut admittatur sententia Vasquez, quod detur aliqua voluntas antecedens efficax, et absoluta, vel consequens, quæ non sit efficax, neganda est sententia S. Thomæ.

IX. Solum ergo restat videre an sit legitimus sensus et explicatio ista quam S. Thomas ponit circa sententiam Damasceni: hoc enim ali-

qui negant, sed immerito, quia S. Thomas perpetuo tradit istam doctrinam de antecedente, et consequente voluntate, juxta mentem Damasceni, ut locis supra citatis videre est, et expresse affirmat in hoc articulo vi ad 1. Quis autem dicat S. Thomam toties versasse locum Damasceni et ab ejus mente excidisse, nec eam fuisse assecutum? Cæterum, abundantius id constabit verba Damasceni ponderanti, quæ sic habent illo secundo libro fidei, cap. XXIX: « Illud quoque nos ne fugiat, Deum quidem ut bonitate præstantem, primarie quidem omnes homines servari ac regni sui compotes esse velle (neque enim supplicii, ac cruciatus causa, verum ad hoc ut bonitatis ipsius participes simus, nos effinxit) ut justum autem, iis quoque qui peccant pœnam inferi nihilominus velle: ac prius illud, antecedens voluntas seu beneplacitum dicitur ex ipso manans: secundum autem, insequens voluntas ac permissio a nostro voto ortum ducens. » Et subdit: « Atque hæc de iis rebus quæ in nostra potestate minime sitæ sunt statuere debemus: at verò ex iis quæ in nostro arbitrio consistunt, ea quidem quæ bona sunt primarie vult, grataque habet Deus. » Ubi Damascenus sine dubio loquitur de ista duplici voluntate Dei sub formalitate et præcissione: hoc enim manifeste indicant illæ particulæ ut, quibus utitur: Deum ut bonitate præstantem, etc. ut justum autem, etc. id est, sub formalitate, et præcissione bonitatis suæ, et quatenus homo a se emanat, sic non vult perire quemquam, quia ex sua bonitate non formavit aliquem ut perderet, sed ut suæ bonitatis faceret participem. Et hæc vocatur primaria voluntas, quia pertinet ad primum finem ipsius creationis, et formationis hominis, ut constat ex subjuncta probatione Damasceni ne-

que supplicii et cruciatus causa nos effinxit, etc. Loquitur ergo de fine propter quem nos creavit, qui est primarie volitus. Si ergo loquitur Damascenus cum præcissione, et sub formalitate illa, quatenus Deus bonitatis suæ nos vult esse capaces, et participes, ergo apud Damascenum voluntas antecedens est voluntas respiciens objectum sub aliqua præcissione et primario aliquo fine; nondum vero attendens ad alias circumstantias, quæ tali rei convenire possunt; utramque enim conjungit Damascenus in voluntate antecedente, scilicet ut in ea procedat Deus sub tali formalitate, sed est ut bonus; et primarie, id est, quantum ad id quod primo intendit, et respicit in aliqua re; ergo illa voluntas, ut sit antecedens, debet esse præcisa, et sub aliqua præcissione respiciens et procedens, et sic non est voluntas exequens, et ponens rem de facto, quia res ut de facto ponitur, non sub præcissione ponitur, sed cum suis circumstantiis simpliciter requisitis ut in re sit. Quod autem Deus facit non solum attendens ad illam primariam intentionem, ut præcise bonitatem suam respiciens, sed etiam secundum alias circumstantias, quæ post sequuntur, sicut sunt illæ, quas attendit, in quantum justus, et non ut præcise bonus, hoc jam pertinet ad insequentem voluntatem, quæ non sistit in illo fine primario, nec in illa præcissione.

X. Hæc cum manifesta sint in Damasceno D. Thomas attendens anteriorem rationem mentis ipsius, id quod dixit Damascenus circa illam peculiarem materiam de hominibus salvandis, vel non salvandis universalem fecit pro omnibus decretis divinis, seu pro omni voluntate divina. Unde in prædicta auctoritate Damasceni, aliud est id quod dicit circa illam particularem materiam, circa quam ibi loquebatur, distin-